PRO QVODLIBETARIA, QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis excutienda disputationibus, die Iouis 21. Nouembris in Scholis Medicorum Parif. D. Ioan. le Mercier, Doctore Medico, Præside.

An Colico dolori venæ sectio?

COmmunis totius corporis veluti sentina, aluus. Quæ non solùm colligendis & expurgandis partium naturalium excrementis à naturâ dicata est, sed etiam superuacaneos multos humores congerit, vel à toto confluentes excipit, à quibus morbi penè innumeri. Hinc enim mesaræum obstruitur, iecur inflammatur, lien intumescit, abdomen flatu vel aquâ distenditur, icterus pronascitur, calculus in renibus senum coalescit, febris accenditur, maximè verò intermittens, quæ illic focum habet. Præterea varij fluores proritantur, diarrhoïci, dysenterici, lienterici, lumbrici teretes in pueris frequentissimè procreantur, tormina denique & acerbi dolores excitantur.

GRaues quidẽ illi omnes affectus, & qui non rarò vitã in discrimen adferũt: sed qui cedunt colico dolori, cuius acerbitas tanta est, vt rupto peritonæo proferat enterocelen, pueris ex laxitate valde familiarem; vt etiam ægro necando sit satis. Quin dolor sæpe adeo est contumax, vt alios morbos inuehat curatu longè difficiliores. Siquidem interdum desinit in paralysin, arthritidem, tympanitem. Grauissimus omnium existit, qui nascitur ab inflammatione, vt qui comitem ferè habeat funestam Lipyriam, aut miserabilem ileum inducat. Cui si vomitus stercoris superueniat, singultus, delirium, aut conuulsio lethiferum.

TAnti doloris subiectum est Colum intestinum. Quod cùm sit neruosum, multísque cellulis refertum, cohibendis fecibus, & continendis crassis atque viscidis humoribus valde est opportunum. Causa verò non tantùm est flatus, frigoris & cruditatis soboles, sed etiam crassa tenáxque pituita, quæ otio, crapulâ, potu frigidæ, fructuum olerúmque crudorum esu diuturno coaceruatur: sæpe etiam bilis alterutra, quę crassam pituitam veluti fermentat, partémque erodit & inflammat. Hinc cœlo distento dolor quasi ab infixo palo ægrum excruciat: qui ad latus sinistrum magis intenditur, totúmq; abdomen inflatur, aluus constringitur, bilis feruet, ventriculus subuertitur, vrina tingitur & sæpe supprimitur.

TAmen à flatu dolor magis vagus est, vt fixus à pituitâ. Ab acri humore si quis dolor fiat, cũ febre, ardore, siti & vigilijs conjungitur, bilis excretione mitescit, & calidorum vsu ingrauescit. Inflammationem testantur iactatio vehemens, & dolor implacabilis cum extremorum frigore, quod minatur exitium. Aliàs quibus ad hypochondria dolor est sine inflammatione, nisi concitato in ventre murmurio sedetur, ijs febris superueniens eum soluit. Quod nephritico non accidit, qui febre intenditur, primúmq; vrinâ tenui & aquosâ, deinde crassâ, turbidâ & sabulosâ dignoscitur, nec solùm nauseam mouet, bilísque vomitum, sed fixus magis est & diuturnus, & ad vesicam femúrque porrigitur.

QVare vt causa multiplex, sic varia sunt eius remedia. In flatu, præter clysma diaphoreticum, & fomentum siccum vel humidum; cucurbitula ventri affixa prodest. In crasso viscidóque phlegmate, vtendum frequentibus enematis chalasticis, eccoproticis, & discutientibus, diluto agarici, terebinthinâ, hierâ, diaphœnico, catapotijs phlegmagogis, vino generoso, hydromelite, dianiso, rebusque aromaticis. Cùm dolor est à bile, conueniunt clysteres malactici, detergentes, cathartica cholagoga, balnea, iuscula, & narcotica. In phlegmone, vt catharsis metuenda, sic phlebotomia primum locum obtinet. Quę in cæteris causis cùm febris adest, etiam necessaria est. Quin etiam sine hac omitti non debet cùm dolor est acutissimus, & corpus εὔσαρκον & plethoricum, maximè verò si vires & ætas consentiant.

Ergo Colico dolori venæ sectio.

Asserebat CLAVDIVS RABEVX, Hæduensis anno Domini 1603.

D. DOCTORES DISPVTATVRI.

M. ANTONIVS QVIQVEBEVF.	*M. PETRVS SEGVIN Prof. Reg.*	*M. GVLIELMVS LVSSON M. R.*
M. JACOBVS D'AMBOYSE M. R.	*M. JOANNES de RENOV.*	*M. EGIDIVS HERON DECANVS.*
M. JACOBVS COVSINOT.	*M. PETRVS PIIART.*	*M. JOANNES BEAVCHESNE.*